

DECRETUM



DIVIONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVÆ DEI

MARGARITAE A SS^{MO} SACRAMENTO MONIALIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM

SUPER DUBIO

« An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ».

Praecelsa mulierum, Deipara Virgo, cui gloria Libani data est et decor Carmeli, tot ex adscita sibi Familia Carmelitica virgines numerat suarum virtutum imitatrices, ut iure Ipsi accommodentur Ecclesiastici verba: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae*. Salutiferae illius plantae sub umbra crevit Ven. Dei Serva MARGARITA A SS^{MO} SACRAMENTO, fructusque dedit plane dignos, quibus laetetur mons Sion et exsultent filiae Iudae.

Venerabilis MARGARITA, religionis nomen adepta a SS^{mo} Sacramento propter singularem quo flagravat amorem in divinum Infan-tem, orta est Belnis in Gallia VIII Id. Februar. an. MDCXIX. Ab ineunte aetate caelestis gratiae donis ita est cumulata, ut appa-erent in ipsa quasi semina innata christianae virtutis. Mature quippe in puella fulserunt et pietas in Deum et in proximos caritas. Nondum septennis plures horas, etiam nocturnas, ipsaque in hiemis asperitate, precibus vacabat; pauperibus obsonia aliaque sibi collata munera distri-buebat; aegrotis non solum domi, sed etiam in valetudinariis adsidebat, eorum curare vulnera deoscularique minime verita.

Mortua parente, Deiparam sibi matrem elegit eiusque religioni in Belnensi Familia Carmelitidum Sororum sese devovit. Hoc pacis
et virtutis asylum ingressa est undecim annos nata; eoque fuit illi laetior eventus, quod, qui dies ad caenobium, idem ad caeleste pabu-
lum primitus degustandum aditum patefecit. Quum tyrocinium, tum reliquum tempus post nuncupata vota solemnia ea religiosae vitae
perfectione traduxit, tam altae caelestium rerum contemplationi animum intendit, ut angeli speciem potius, quam puellae praesefere-
Divinum Infantem, cui se totam sacraverat, fervido amore prosequuta est, nihilque praetermisit, quod illi gratum esse putaret eiusque
voluntati consentaneum. Tali sibi proposito exemplo, mirum non est quod in eius omni vita nihil fuerit deprehensum, quod ullo pacto
notari posset, nihil immo quod non summopere laudandum videretur. Provehendi autem eiusmodi cultus maxime sollicita, sodalitium
instituit, cui adscripti fideles annos duodecim Iesu adolescentis certis precibus prosequerentur Quae religio brevi, non modo Galliam,
sed exteris quoque gentes ita est pervagata, ut a sa. me. Pio IX Pont. Max. institutum illud auctum fuerit Archisodalitii titulo ac pri-
vilegiis. Supernis donis praedives mirabiles raptus ac visiones experta est, animorum latebras perspexit, longinqua et futura prae-
nunciavit.

Sanctissimum finem non tam atrocitas morbi, qui solidos duos menses MARGARITAM exercuciavit, quam referta meritis vita maturavit.
Extremis doloribus mira patientia toleratis ubi sensit novissimam imminere horam, Ecclesiae sacramenta, fune ad collum alligata et petita
singulis adstantibus venia, recepit. Post haec, inter Sororum effusas lacrimas atque complexus, animam efflavit placidissime v Cal. Iun.
an. MDCLXVIII, aetatis suae anno trigesimo.

Mortuae virginis os nova quadam pulchritudine statim circumfundi visum est, et olere suavissime corpus. Eius autem obitus nuntio
commota universa civitas ad funeris pompam eo devotionis impetu accurrit, ut militibus opus fuerit ad ipsam continendam. Haec fama
sanctitatis, his iam saecularis, intermissa nunquam est, ne Gallicarum quidem perturbationum tempore; quin etiam vulgatiorem in dies
factam esse testantur quotidianae ad eius tumulum peregrinationes. Cui famae magis magisque illustrandae quum prodigia complura,
quae de ipsa ferebantur, accessissent, anno MDCCCLX ordinarii processus instituti sunt; quibus expletis et ad SS. Rituum Congregationem
delatis, idem Pius PP. IX die XIX mensis Iunii an. MDCCCLXXIII Commissionem introductionis causae sua manu signavit. Consecuti
deinde sunt penes eandem SS. Rituum Congregationem anno MDCCCXCV Apostolici processus de gradu *heroico* virtutum Ven. Dei
Servae MARGARITAE. Ac primum acta res est in antepraeparatorio coetu apud Rmum Cardinalem Caietanum Aloisium Masella
cl. me. causae relatores, pridie nonas april. an. MDCCCXCIX; mox in duplici praeparatorio, Vaticanis in aedibus, pridie nonas februarii
anno MDCCCII, et decimo cal. septembr. an. MDCCCIV; postremo in Congregatione generali ibidem, apud SSmum D. N. Pium PP. X,
coacta quinto idus sextil. volventis anni. Quo in conventu quum Rmus Cardinalis Aloisius Tripepi pro Rmo Card. Dominico Ferrata
cui munus Causae referendae a Pontifice Maximo fuit delatum, discutiendum proposuisset dubium: *An constet de virtutibus theologalibus*
Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven.
Servae Dei MARGARITAE a SSmo SACRAMENTO, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur; Rmi Cardinales et Patres Consul-
tores sua quisque suffragia tulerunt. Quibus perpensis SSms Dominus supremum iudicium suum differendum censuit, hortatusque prae-
sentes est, ut in re tanti momenti caeleste lumen implorarent.

Hodierno vero die, quo domus Sanctae Virginis apud Picentes in Loreto apparuit et Dominica secunda sacri Adventus, Sacro reli-
giosissime litato, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus et pontificio solio assidens, ad Se accivit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi
S. RR. Congregationi Pro Praefectum et Dominicum Ferrata causae Ponentem; itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem
et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate*
in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. *Servae Dei*
MARGARITAE a SSmo SACRAMENTO, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor
miraculorum discussionem.

Hoc autem Decretum evulgari et in SS. RR. acta referri iussit, quarto idus decembres an. MDCCCXCV.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, S. R. C. Pro-Praefectus.

+ DIOMEDES PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., S. R. C. Secretarius.

L. ✠ S.

TYPIS VATICANIS

Arch. S. C. pro Causis Sanctorum
G 19.